

Kreis
teinfurt

S 260

1267 Mai 7 Bentheim.

[27

Graf Otto von Bentheim überträgt dem Kloster Bietmarschen die Kirche zu Schüttorf.

Nos Otto, comes de Benthem, notum facimus universis presentes litteras inspecturis, quod nos de consensu puro et perfecto Ottonis senioris filii nostri et Egberti nostri fratris, qui manu et facto nobis ad hoc cooperati sunt, ecclesiam de Scuttorpe nostre collationis ex resignatione Godescalci quondam rectoris ipsius ecclesie nobis coram pluribus castellanis nostris libere facta vacantem preposito, priorisse et conventui monasterii in Rode sancte Marie ordinis sancti Benedicti cum omni integritate et perfectione iuris contulimus perpetuo possidendam presencium testimonio litterarum. Presentes aderant Ernestus cantor Monasteriensis, Henricus rector ecclesie in Otmersen, Albertus cappellanus in Benthem; Werenboldus dictus de Vecht, Ludolfus de Nederlo, Everhardus de Bacio, Everhardus de Quendorpe, Fredericus de Engen, Symon de Telinghe, Bernerus de Boc, Egbertus frater comitis, milites, Nicholaus de Beveren et Cesarius dapifer similiter milites, Egbertus frater comitis et Otto filius comitis eiusdem. Nos vero testes predicti, qui facto predicto interfuimus, audivimus et vidimus, sigilla habentes presentes litteras una cum predicto comite ad notitiam et evidenciam ampliorem nostris sigillis duximus sigillandas. Actum et datum apud Benthem, in die beatorum martirum Gordiani et Epimachi, anno Domini M^occ^olx^o septimo. Nos vero Otto heres predicti comitis et Egbertus frater comitis ipsius, qui manu et facto collationem huiusmodi ratificamus et cooperati sumus, quia sigilla non habemus, sub sigillis predictis omnibus subscribimus et munimus. Datum ut supra.

Orig. mit ursprünglich 6 Siegeln, von denen das 3. (Beveren), 5. (Umschrift zerfällt, wahrscheinlich Friedrichs von Engden) und 6. (Kaplan Albertus) erhalten sind. IX. Rep. I. 8. Kopie (17. Jhdt.) in IV. 2.

260